
939.

EPISTOLA PASTORALIS AD ECCLESIAM DREPANENSEM



ROMAE

EX TIPOGRAPHEO JOAN. BAPT. ZAMPI ET C.

MDCCCXLIV

VINCENTIUS MARIA MAROLDA

CONGREGATIONIS SANCTISSIMI REDEMPTORIS

SACRAE THEOLOGIAE MAGISTER

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS DREPANENSIS

SANCTISSIMI D. N. PRAELATUS DOMESTICUS ET PONTIFICIO SOLIO ADSISTENS

DILECTIS IN CHRISTO FRATRIBUS, ET FILIIS, CAPITULO CATHEDRALIS VEL ECCLESIARUM COLLEGIALIUM, CLERO UNIVERSO, POPULOQUE SUO

SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM, ET BENEDICTIONEM

AD Pontificalem dignitatem Dei miseratione per Apostolicae Sedis benignitatem, proponente Serenissimo FERDINANDO II. Utriusque Siciliae Rege, nuper evectos timor et tremor venerunt super nos; nostrae enim tenuitatis conscientia, sive scientiam, sive virtutem, sive pietatem tanto muneri exercendo requisitas inspiceremus, ministerii magnitudo vel angelicis humeris formidanda, illa nempe instantia quotidiana in vestram regendam Ecclesiam habenda, et cum

primis illud durissimum iudicium iis, qui praesunt, comminatum mentem nostram tam subita ac vehementi commotione affecerunt, ut provoluti ad pedes Domini Nostri Iesu Christi, pondus episcopale, si possibile foret, a nobis ablegandum enixis precibus deprecaremur. Ast aliter placuit ei, qui nos segregavit, vocavitque per gratiam suam; cum per Petri Successorem, suumque in terra Vicarium manifestavit, in nobis quae esset voluntas eius beneplacens, et bona, et tunc continuo non adquievimus carni, et sanguini, sed Dei bonitate freti omnem nostram spem in eo collocavimus, gratiam semper apud Ipsum sine dubio inventuri in auxilio opportuno, ut Drepanensi Ecclesiae nobis primum concreditae omnem sollicitudinem pastoralem exhibeamus.

Non enim ad Vos venimus *vel gloriandi, vel dominandi, vel adquirendi cupiditate, sed obediendi et subveniendi, et Deo placendi charitate* (*Aug.*). Ita ut non nostras velimus esse, sed Christi, oves nobis commissas ab ipso omnium Pastore, et nostrae Confessionis Pontifice, et Apostolo. Hoc enim nobis omnino cordi est, ut non iudicemus cum Paullo *nos scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, et hunc Crucifixum, qui est pax nostra, et reconciliavit nos Deo per Crucem, interficiens inimicitias in semetipso, cum veniens evangelizavit pacem nobis sive longe, sive prope fuissemus, ut per ipsum omnes haberemus accessum in uno spiritu ad Patrem, cuius magni my-*

sterii nos dispensatores, *et adiutores inter Vos a Deo positi sumus. Attendite Vobis*, aiebat proinde D. Paullus, perpaucis verbis omnia complexus, *et universo gregi*, *in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, *quam adquisivit sanguine suo .... Propter quod vigilate*; hoc munus eis demandans, ut sicut et ipsi a Patre missi sunt, ita etiam et evangelizare verbum Crucis verbo, et exemplo probe non desinant, et speculatores facti domus Israel gregem pascere non desistant, et usque ad mortem certantes, quod dispersum est requirant, et infirmum consolidare, sanare aegrotos, abiectum reducere, pingue, et forte satagant custodire. Tamquam igitur servi fideles, et prudentes, quos Dominus ipse super familiam suam constituit (adhuc enim Pastoribus, et Doctoribus in ministerio opus est *ad consumationem sanctorum*, *in aedificationem corporis Christi*, *donec occurramus omnes in unitatem fidei*, *et agnitionis Filii Dei*) solliciti esse debemus, ut cum Dominus advenerit, nos commoda, atque utilitates commissi gregis curantes totis viribus, atque verbum vitae in aeternitatis cibum alendae familiae suae dispensantes deprehendat.

Quapropter licet speramus nos cito futuros apud Vos, omnem tamen sollicitudinem fecimus scribendi Vobis de communi nostra salute, ut saltem per Epistolam nostram in Vos paternam charitatem, et cordis nostri intimos sensus, ve-

luti filiis carissimis, patefaceremus, deprecantes supercertari semel traditae sanctis fidei, quae est victoria nostra, quae vicit, et qua vincere quotidie mundum debeamus. Incipiam proinde, fratres, et filii mei dilectissimi, de his semper commonere vos, et quidem scientes, et confirmatos in hac veritate, quod D. N. Iesus Christus omnia nobis divinae virtutis suae, quae ad vitam, et pietatem donata sunt, per cognitionem eius, qui vocavit nos propria gloria et virtute, superabundanter donaverit.

Maxima sane, et pretiosa dona, per quae divinae effecti consortes naturae tanto sublimius in nostra humilitate extollimur, quantus ipse Deus est! Neque enim doctas fabulas sequuti D. N. Iesu Christi fidem amplexati sumus, et adhuc tenemus, sed in caligine huius saeculi illuminatis per gratiam ipsius, quasi lucernae lucentissimae iu prophetico sermone attendentibus dies eluxit, et lucifer aeternus ortus est in cordibus nostris. Nam huius fidei fulgoribus illustratae mentes hominum opulentam requiem, pacis pulchritudinem, et fiduciam spei invenerunt, atque a peccatorum abysso detractae, vinculis inferni disruptis, in nomine Domini habitaverunt confidenter in domo Dei, ut adimpleretur, quod per Ieremiam dictum fuerat: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo verbum bonum, quod locutus sum ad domum Israel, et ad domum Iudae.*

Induti enim in hac fide virtute ex alto, veluti lorica,

contra spiritualia nequitiae certari, et resistere poterimus assumentes armaturam Dei in die malo. Itaque stemus, necesse est, succincti lumbos nostros in veritate, et calceati pedes in praeparatione Evangelii Dei, in quo omnia tela ignea nequissimi extinguere valeamus. *Nam arma iustitiae nostrae*, Paulli Apostoli verbis utar, *non carnalia sunt, sed potentia Deo, quia etsi in carne ambulantes non secundum carnem militamus, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium fidei.* In qua captivitate rationalis creaturae Deo, cui subiecta sunt omnia, illa scientia ministratur divina, quae non est in sapientia huius saeculi, sed in virtute Dei, *cum sapientia huius mundi stultitia sit apud Deum. Scriptum est enim*, ait Apostolus, *perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.* Quam scientiam Dei, si aliquando ex corde, et tota mente noverimus, illam abstinentiam, et patientiam edocebimur, quam frustra principes huius saeculi exquisierunt viribus omnibus, sed minime cognoscere potuerunt. Attamen illam nobis revelavit Deus, ut in abstinentia, et patientia spem habeamus, et scientes, quae donaverit nobis Deus, mentes nostras ad coelum dirigamus, si enim in hac vita tantum in Christum sperantes simus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Enutriti autem his verbis fidei, et bonae doctrinae, non vero

ineptas, et aniles falsi nominis scientias sequuti, tunc imprimis ad pietatem veram, neutiquam fucatam exercere quotidie nosmetipsos possumus. *Et pietas ad omnia utilis est*, verba sunt Paulli, *promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae*. Etenim in pietate amor fraternitatis, et in amore fraternitatis charitas vera, quae numquam excidit, quasi stella matutina in medio nebulae huius mundi splendescere non desinet; quae omnia si vobiscum adsint, *non vacuos*, ex D. Petro, *nec sine fructu vos constituunt in Domini nostri. Iesu Christi cognitione*. Tunc enim in sanctam illam civitatem ingrediemur, et stabimus, quae est Ecclesia Dei vivi, supra montem positam, ad quam fluent omnes gentes, et populi multi dicent: *Venite, et ascendamus; quia de Sion exibit lex*.

Nec parum vobis videri debet, Fratres, filiique dilectissimi, quod inter cetera vestrae civitatis non pauca ornamenta, et istud nunc addatur insigne, quod civitas uncti a Domino per misericordiam Iesu Christi sit declarata, et multis abhinc annis sedens proprio viduata Pastore, tandem episcopali restituatur honori, puraque in pace resplendeat. Propter quod saepe vobiscum perpendite, quanta debeat esse in vobis grati animi charitas, et modestia, ut dum Deum diligatis super omnia tot tantisque gratiis munerati, non vos elatos tentet superbia de vestra gloria, sed magis gratias agentes Deo ei servire, quod regnare est, eius-

que cultum honorem, et amorem verbis, exemplo, viribus omnibus ab omnibus praestolari non desinatis. Hoc autem ut efficiatis dico, et testificor coram Domino, ut iam non ambuletis, sicuti et qui ignorant Deum in vanitate sensus sui, alienati a vita Dei per ignorantiam, quae est in illis. Multi enim sunt hisce novissimis diebus magistri mendaces, *qui introducunt*, ut aliquando aiebat D. Petrus, *sectas perditionis*, *et eum*, *qui emit eos*, *Dominum negant. Et multi*, flens dicam cum ipso Apostolorum Principe, *sequuntur eorum luxurias*, *per quos via veritatis blasphemabitur.*

Ac proinde, Fratres mei (Vos adloquor, quos Christi Vicarius nobis pro prima vice quasi adsessores meos advocavit, Canonici novae Cathedralis Ecclesiae) in hoc adiutores mei estote, ut verbum Crucis non pereat apud Vos, sed magis, magisque nostris laboribus cum semine bono, et fructu multo crescat in dies. Vestrum enim erit, sicut et universi Drepanensis Cleri, sive Civitatis, sive Dioecesis, populum ad bona, et aeterna pascua perducere a malis illum coercentes. Sicuti et fecistis usque modo, et in hoc superabundo gaudio super vos, et gratulor in Domino. Sed nunc magis oportet vigilare, et abundantius laborare, corripientes inquietos, consolantes pusillanimes, infirmos suscipientes. Patientes simus ad omnes, nemini malum pro malo reddentes, sed quod bonum est sectamini in invicem, et in omnes. Ad

hoc namque a Deo vocati sumus, non ut aliis dominemur, sed ut forma gregis facti ex animo, pascentes gregem Dei, non coacte, sed spontanee, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, eius curae providere conemur; quia neutiquam nobismetipsis, sed populo constituti sumus a Deo electum genus, regale sacerdotium. Et hoc bonum est, ut cum apparuerit Princeps Pastorum, percipiamus immarcescibilem gloriae coronam.

Vos etiam obsecro in Domino, Rectores animarum curam gerentes, et Collegialium ceterarum Ecclesiarum Canonici, ut idipsum sentiatis, habentes donationes secundum gratiam, quae data est nobis, differentes. Nam cum unum corpus simus in Christo, omnia autem membra non eumdem actum habeant, ita nosmetipsos gerere oportet, ut in uno spiritu ambulemus coram Domino gloriam Patris, et D. N. Iesu Christi in salutem animarum quaerentes. Hinc non sint in vobis schismata, sed potius dilectio sine simulatione; sitis autem odientes malum, adhaerentes bono, charitate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem praevenientes. Quia non in hoc vocati sumus, ut nobis ministretur, sed potius ut aliis praeundo ministremus, secundum quod ait D. N. Iesus Christus: *Et qui praecessor est, sicut ministrator.*

Ac proinde, Fratres carissimi, quot quot estis in clero seculari, vel regulari, Sacerdotes, omnes enim adloquor,

omnes amplector in Christo Iesu, in osculo sancto; omnes velim idipsum sapere, ut induentes D. N. Iesum Christum exuamus veterem hominem cum actibus suis, et attendentes nobismetipsis, et doctrinae nobis traditae, cuius testes, et defensores sumus, maneamus in lectione, et in oratione ad pietatem nos exercentes. Et hic non faciemus dicendi finem, quin vobis sensus nostros aperiamus circa ea, quae cleri institutionem, cultumque respiciunt. Haec enim non ultima sane, ne dicam omnium primam, Episcopalis cura esse debet. Et Deo adiuvante nobismetipsis non deficiemus, quominus omnem laborem impendamus ad iuvenum animos bonis moribus, solidaque scientia quoquomodo informandos, ne sanctuario ministrare indigni ab ipso Deo a Sacerdotio repellantur. Iuvenes ergo clero adscriptos vel maioribus, vel minoribus ordinibus initiatos hortor in Domino (vos, Seniores, obsecrantes pro Christo, ut idipsum et vos nobiscum faciatis) quod lectioni, scientiis, bonis moribus, pietati sedulo incumbant, semetipsos probantes *si habeant mysterium fidei in conscientia bona.*

Et pauca vobis etiam scribam, Virgines Deo sacrae, quae Sponsum caelestem sequutae mundo valedixistis, et mortuae quidem carne, vivificatae autem spiritu Domino vivere, et in eius haereditate manere in sempiternum vovistis. Vigilate, vobis dicam, et orate, ne tentet vos Satanas, expectantes beatam spem, et adventum magni Dei. Adhuc mo-

dicum, et vobis expectantibus dicetur: *Ecce sponsus venit, exite obviam ei*, et surgere de somno oportebit, ut ad vitam vigiletis aeternam. Considerate filiae meae dilectissimae, quanti gaudii erit, tunc, cum ipso Sponso in gloriam introire, ut ad coenam Agni eum ubicumque sequutae in aeternum sedeatis; at heu! quanti moeroris ob negligentiae torporem audire: *Nescio vos*. Ita igitur vivatis, ut vestra modestia, et angelica puritas nota sit omnibus hominibus, pauperem, et humilem Dominum imitantes.

Tandem ad Vos civitatis nostrae per quam amantissimae Drepanensis, totiusque Dioecesis optimates, hoc primum, et unicum sit memoriale verbum pacis Iesu Christi, cuius omnes nos filii sumus, ut in gratiarum actione semper maneamus, quia eduxit nos, et collocavit cum principibus populi sui, ut Deum timentes super omnia diligamus, et veritatem amantes, avaritiam odientes, reliquum populum hortationibus, magisque exemplo in via veritatis, et iustitiae regere nitamur. Divites non glorientur, nisi in humilitate sua, quoniam sicut flos foeni transibunt, et in itineribus suis marcescent. Sint potius *unanimes compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, quia in hoc vocati sunt, ut benedictionem possideant haereditate.*


In fine vos praeclarissimum omnem populum nostrum Drepanensem obsecramus pro Christo, tamquam filios di-

lectissimos, ut negotium vestrum agatis cum timore, et tremore certam vestram vocationem facientes. *Sublimioribus potestatibus subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, Dei enim sunt ministri. Nemo glorietur in hominibus: unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Scimus enim, quod pauperes, et humiles in hoc mundo elegit Deus divites in fide, haeredes Regni, quod repromisit Deus diligentibus se. Adaperiat nobis omnibus B. Virgo Maria, sub cuius tutela praecipue estis positi, et S. Albertus concivis Patronus vester oculos, et corda nostra, in cognitione, et amore D. N. I. C., ut ipsis adiuvantibns illam beatam requiem ingredi valeamus.

Itaque Deum honoremus, et nos invicem diligamus *orantes pro invicem, ut salvemini*, et pro nobis, ut detur sermo ad praedicandum mysterium Evangelii, pro quo legatione fungimur inter vos, ut possimus, prout oportet, verba vitae disseminare. Primum autem oremus, et obsecremus pro D. N. GREGORIO XVI. ut sapienter per tot rernm discrimina universam gubernet Ecclesiam, et pro Serenissimo Rege nostro FERDINANDO II. ut in moderandis populis cuncta illi succedant prospera, et secunda, nec non pro Regina nostra MARIA TERESIA, Regia prole, cunctaque Regali familia, et pro omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam omnes, et tranquillam vitam agamus in

omni pietate, et castitate. Orate et pro Emo S. R. E. Cardinali Aloysio Amat Tituli S. Mariae in Via qui nobis benigno animo, ut est, in Episcopum consecrare dignatus est die 28. huius mensis Iulii. *Gratia D. N. Iesu Christi, et charitas Dei, et communicatio S. Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.*

Datum Romae ipsa die Consecrationis nostrae Dominica IX. post Pentecosten extra Portam Caelimontanam A. R. S. MDCCCXLIV.



IMPRIMATUR

F. Dom. Buttaoni Ord. Pr. Sac. Pal. Ap. Magist.

IMPRIMATUR

Joseph Canali Archiepisc. Colos. Vicesgerens.